

piarum causarum, b) 3) dignitatis singularis e. g. quae acade-  
miis concessa est, 4) prioritatis. c)

§. IV.

**G**audent itaque iuribus plane eximiis vniuersitates, in primis  
intuitu bonorum, quae possident, ex confirmatione scili-  
cet a superiore facta. Hinc commoda, quae ex bonis ad  
quemlibet ex vniuersitate peruenire possunt, congrue diuidere  
licebit in ea, quae vel ad vsum singulis competunt, vel, ex af-  
signatione vni facta, ratione reddituum ad singulos spectant.  
Sed dispiciamus ante omnia de bonis ipsis, eorumque natura,  
et membrorum vniuersitatis in illa iuribus.

§. V.

**B**ona vniuersitatis nobis sunt res, quarum vsus, aut ex vsu  
proueniens commodum spectat ad singulos ex vniuersitate,  
ad communem, et singulorum utilitatem promouendam. a)  
Quum mentionem vsus faciamus, facile inde patescere credi-  
mus, exercitium domini ad singulos non pertinere, sed ad  
eos, in quorum dominio res existunt, siue omnes ex vniver-  
sitate sint, siue Princeps intuitu domini eminentis. b) Inter  
A 5 vsum

b) Si vniuersitati aliquid promittitur, aut relinquatur, vbi plerum-  
que cessant solemnitates, legibus praescriptae.

c) Vt in concursu, vbi vniuersitates creditrices omnibus praefe-  
runtur creditoribus personalibus, si non hypothecam expref-  
sam constitutam habent, L. 38. §. 1. ff. d. Reb. Aut. Ind. possid.  
BRUNNEM. de Proc. cred. c. 5. §. 60. LVDOVICI Einleit.  
zum Concurs Proc. p. 114. id quod tamen videtur mutatum  
in O. P. S. R. ad Tit. XLIX.

a) HVB. d. iure ciu. l. II. sect. IV. c. I. n. 40.

b) Vid. infra Sect. II.